

tim cum Franciscus Junctinus (o) quendam Albumasarem multò antiquiorem faciat, & in annum 140 ante Christum natum ponat. Vel si Jo. Pico Mirandulæ (p) fidem adhibemus, affinitas nominis multos fefellit: Est enim Albumasar apud Philosophos, est item apud Astrologos; Sed quamquam hæc nomina latinus sermo confuderit, apud Arabes tamen diversa dignoscuntur: Nam qui Philosophus est Albumasar, qui autem Astrologus Aboasar appellatur. Picum tamen ob hanc adhibitam distinctionem reprehendit Jo. Seldenus, (q) & pro Aboasare, Abumasarem substituit, teste Spizelio in loco supra allegato. Sed accedamus ad scopum. Prostant ex Muhamedani hujus scriptis Tractatus octo de magnis conjunctionibus, & annorum revolutionibus, sub titulo *Introductorii Majoris*. In hoc Albertus M. (r) tot præclara atque egregia de fide & vita æterna testimonia se invenisse venditat, ut liber hic pene supra omnem laudem ipsi positus videatur. Idem & Naudæus (s) intendisse videtur, quando de Alboasare judicat, quod quantumvis esset Muhamedanus, multa tamen de Christo apud alios non protrita dixerit. Inter alia de Servatore nostro ab ipso scriptum esse perhibent, natum Eum fuisse sub prima facie Virginis. Verba huc facientia ex Albumasaris (t) *Introd. Maj. allegat Albertus M. (u)* quæ ex interpretatione latina Hermannii Dalmatæ ita jacent: *Ascendit in prima facie illius Virginis, quam vocant CALCHINUS DAPOSTAL, Virgo pulchra atque honesta & jucunda, proluxo capillo, & pulchrâ facie, habens in manu duas spicas, & sedet ipsa super sedem stratum, & nutrit puerum, dans ei ad comedendum in loco, qui dicitur ABRYE, (Terra Hebræa) & vocat ipsum puerum quædam gens JHESUM, cujus interpretatio est arabice, ELCE, & ascendit cum ea stella Virginis æterna.* Probè autem hic notari merentur, quæ Rogerius Bacchonus (x) Anglus circa hunc locum annotavit, quod scilicet Horoscopus hic non tam ad Christi, quam B. Virginis matris ejus Thema genethliacum spectet. *Intentio (Albumasaris) est, inquit, quod B. Virgo habuerit figuram & imaginem infra decem primos gradus Virginis, & quod nata fuerit, quando Sol est in Virgine: Et ita signatum habetur in Calendario, & quod nutriet filium suum Christum in terra Hebræorum.* In eandem sententiam (scilicet Mariam Virginem significatam esse per sidus Virginis) inclinatur etiam Auctor libri de Vetula, (y) perperam Ovidio adscripti, quando canit:

O Vir-

(o) In Speculi sui Astrolog. Catalog. Mathematicor. (p) Libr. I. in Astrolog. p. m. 423. edit. Basil. anno 1572. (q) In præf. ad Eutychiei Orig. Eccl. Alexandr. p. 18. (r) Specul. Astron. p. 148. sq. (s) In sapius allegato Judicio de Cardano. (t) Tract. VI. diff. 1. cap. de Ascensionib. Imaginum. (u) Loco antea citat. p. 148. (x) Oper. Min. ad Clement. IV. part. III. (y) Lib. III. cap. 45.